

**Dissertatio inauguralis medica sistens casus aliquot notabiles aegrotorum mente alienatorum aut perversorum / [Friedrich Wilhelm Brune].**

**Contributors**

Brune, Friedrich Wilhelm.  
Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christ. Hilligeri, [1737]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cz3vq7yy>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

CASVS ALIQVOT NOTA-  
BILES AEGROTORVM MENTE  
ALIENATORVM AVT PER-  
VERSORVM

QVAM

P R Æ S I D E

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE  
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET  
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-  
LINENSIS SODALE

PRO HONORIBVS DOCTORALIBVS

RITE CONSEQVENDIS

A. d. *Aprilis Anni MDCCXXXVII.*

PVBlice DEFENDET

FRIDERICVS WILHELMVS BRVNE

HALA - RAVENSBERG.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.



ALBERTUS MAGNUS MEDICUS

ALBERTUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS

ALBERTUS MAGNUS



Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

SISTENS

MENTE ALIENATORVM AVT PERVER-  
SORVM CASVS ALIQVOT NO-  
TABILES.

PROOEMIUM.



Vanta sit hominum felicitas, qui-  
bus mentem sanam in corpore  
sano Deus indulget, tunc de-  
mum cognoscimus, quando  
miserrimos illos intuemur, qui  
vel penitus mente alienati sunt,  
vel peruersa bonæ mentis parte quadam velut cum  
ratione insaniunt. Quo autem magis venerari  
diuinum beneficium discamus, & ne quisquam  
elatus de se sentiat, credo fieri vt Deus, qui omnia  
hominum negotia dirigit, inter nos haud raro  
permittat aliquos rectæ rationis vsum vel omnino  
amittere, vel per interualla eo priuari, vel denique  
aliqua ex parte delirare & a vero ita pertinaciter  
aberrare, vt omnes, qui cum ipsis viuunt, agno-  
scant quantum sibi ipsis dissimiles facti fuerint, &  
calamitatem eorum non sine dolore & commi-  
seratione intueantur. Quo autem nobilior est  
animi, quam corporis integritas, quoque plus  
A 2 damni



damni sæpe infertur hominum societati ab eiusmodi ægrotis, qui mente corrupti, quam corpore affecti sunt; quum hi fere tantum non iuando, quantum possent, noceant; illi vero sæpe magnarum calamitatum auctores inuiti fiant: apparet sane quam digna sit medico hæc cura, quæ impenditur sollicite notandis ac perpendendis casibus istiusmodi, ubi homines antea bene sani in huiusmodi calamitatem inciderunt. Quanquam enim sunt aliqui, ubi vix licet aliquid inuenire, de quo certo perhibere queamus hoc consequuti euentus sufficientem rationem fuisse: in aliquibus tamen aliquid cum summa veri similitudine elucet, quod si tamquam indicem in curando sequimur, aliquando ad salutem recuperandum valere potest. Res sane digna videtur, quam non permittamus empiricis, inter quorum manus aliquos periisse non sine dolore recordor, quemadmodum neque desunt, quorum ad rectæ rationis ductum, per methodicam & satis blandam curationem, restitutorum non sine gaudio & gratiæ diuinæ celebratione meminisse possum. Putavi igitur non committendum ut casus mihi bene noti, & a D.D. PRÆSIDE mecum communicati, priuatim mihi seruiant. Referam bona fide acceptas facti circumstantias, & quas meditatione crebra elicere hinc  
licuit



licuit veri similitudines, candide impertiar, pro lucro habiturus si quis loco vero similium certa & demonstrata hinc deducere, & ad communem fructum conferre valuerit & voluerit.

### CASVS I.

**I**Uuenis vigesimum annum egressus, iamque academiam ingressus, non lauto quidem stipendio, sed integra mente, bonis litteris operam daturus, honorato cuidam viro suam operam addixerat, ut ipsi aliquibus negotiis inferuaret. Corripiebatur autem scabie humida, quæ tantopere manus obsidebat, ut ministerio ineptus redderetur. Anxius ille quærebat non a quo securissima ratione, sed ut citissime curaretur. Incidit in hominem qui sulphur oleo subactum iubet ungere. Paret, & mox consequitur manus nitidas. Enimuero stat cito emicabant valetudinis magnopere labefactatæ conspicua signa, & hæc inter pessima, corruptæ mentis indicia. Cantillabat, ubi minime decebat, cachinnabatur, alia omnia agebat, quam locus, tempus & demandatum ministerium requirebant. Aliquando subito & tanta cum pernecitate, ut nemo eum assequi posset, per medium forum & plateas decurrebat, donec omnino fessus & viribus destitutus in agro procidebat. Non opus est plura dare specimina. Quum in singulos dies, tam corpore, quam mente, deterior omninoque cacheticus, mox etiam hemiplecticus factus, diem tandem obiisset, cultroque via pararetur ad extispicium, mire omnia corrupta offerebat abdomen sua viscera. Cum peritonæo omentum cohærebat: hoc inferius cum



intestinis, hæc inter se & cum ventriculo, hepate & liene valde crasso & duro ita coaluerant, vt vnâ quasi pastam hæc omnia sisterent, lividis vlcusculis & passim vero pure turgentibus pustulis, quales sunt scabiosorum, in hoc magno glomo hinc & inde conspicuis. Pulmones ad quamuis bronchiorum diuisionem obsessi erant crebris tuberculis, quorum maxima nucem iuglandem æquabant, cetera proportionē eadē, vt ipsi bronchiorum rami angustiores diametros habebant, minora obseruabantur. Incisa hæc materiam in quibusdam molliorem, instar gypsi modo aqua subacti, in aliis aliquantum spissiore, instar gypsi magis iam consistentis, offerebant. Caput ne secaretur, efficiebat dirus foetor cadaueris, cuius sat multum se deuorasse præsentēs omnes existimabant & his visis acquiescendum rebantur.

## EPICRISIS MEDICA.

### §. I.

**S**istit hic casus complura, quæ medicum allicere ad considerationem maturiorem possunt. Sed nos vnicum hoc, quod promissimus, venabimur, scilicet vt inueniamus, cui in mente peruertenda aliquid iuste tribuere possimus. Fuisse autem mentem deliram ex casu satis patet: potuissentque plura, quæ id comprobarent, documenta similia adferri. Quin omnino post hemiplexiam & sermonis & omnis rationis vsum aliquanto ante obitum tempore amiserat.

### §. II.

Præcipue hic nobis in abdomine occurrit magna illa omnium partium, naturalibus actionibus destinatarum, a recto & laudabili statu discrepantia: quam vt quidem

orta



orta fuerit, & ad producendos effectus in mentis officinam prauos valuerit, ex mea sententia proferam. Scabiosa materia, ad interiorem superficiem compulla, ibi effloruit & exulcerationes fecit. Hæ exulcerationes effecerunt illum a natura omnino abludentem coalitum. Hoc facto motus ventriculi & intestinorum peristalticus & undulatorius necessario peruertebatur. Hinc vitium redundabat ad chylicationem: qua deprauata sanguinem non potuisse bonum elaborari per se patet. Cognoscitur autem qualitas vitii chylo affrici ex glandularum bronchialium magno infarctu, & in illis deprehensa collectione materiæ instar casei aut gypsi magis vel minus mollis. Quum vero ad illas glandulas nihil venire possit, nisi mediate per lympham a sanguine digressam: non potest sane dubitari ipsum sanguinem crassioribus etiam eius generis partibus plenum fuisse: quum ad lympham non nisi id, quod in humorum massa est tenuissimum, perueniat.

### §. III.

Quum hic talis humor, ad traiciendum tenuissima colatoria & canaliculos transeundos ineptissimus, in vasis ferretur, quid mirum si animæ ratiocinantis officinam, cerebrum, vbi sunt omnium tenuissimi ductus, minus recte traiecit, adeoque peruerso & deprauato organo actiones deprauatæ fuerunt. Quantam autem sanguinis qualitas, & ad motum vel aptitudo vel ineptitudo, potestatem in animæ actiones habeat, solide ostendit Illustris noster, FRID. HOFFMANNVS, cum aliis multis locis, tum maxime neruose *Medic. Systemat. Tom. I. Sect. III. cap. VII. §. 6. & seqq.* Nihil itaque mirum si in hoc homine, antea vitæ sedentariæ dedito, deinde tantopere corru-



corruptis visceribus prædito, actiones animæ fuerunt perturbatæ, quæ non solum ratiocinationem, sed motus ipsos animales per eminentiam dictos deprauauit & ex magna parte, consequuta hemiplegia, abstulit.

§. IV.

Nec omittendus est lienis deprauatus omnino status, siue is ab eodem prius corruptæ sanguificationis vitio enatus est, siue antiquiora initia habuit. Qui hominum melancholia hypochondriaca afflictorum corpora secuerunt, sæpissime notauerunt magnos, crassos, induratos lienes. Enimuero nexus inter huius visceris vitia & animi perturbationes tanto abstrusioris cognitionis est, quanto maior est de lienis usu & officio in œconomia corporis nostri disceptatio; quam hic vel repetere vel diiudicare ab instituto meo alienum videtur. Consultatur BONETVS *in sepulchret. lib. I. sect. IX.*

§. V.

Vtrum vero in causa peruersarum mentis actionum solis fluidorum deprauatorum vitiis inhærendum sit, an suas etiam partes solida sustinuerint, & forte non potestremas, cogitandum nunc fuerit. Age igitur consideremus, quantum nexus ille præternaturalis tot partium, quæ ab instituto naturæ debebant liberæ esse, nocere possit. Omentum peritonæo erat adnatum superiori latere, inferiori cum intestinis, ipsis inter se coalitis, concreuerat. Iam ea est natura omenti, vt ventriculo expanso ab assumptis sursum trahatur, eodem vacuo descendat & libere longiusque dependeat. Ita autem est comparatum cum partibus omnibus, vt tensio diuturnior in eodem statu manens, nobis molestiam afferat, quam-



quamuis talis sit, vt sine dolore & incommodo eandem facile per breue tempus feras. Quis est, qui non id sentiat quando e. g. brachium diutius extendendum est? quin commodo sedili impositus, si eodem situ per complures horas permanere debeas, id tibi molestum sane experieris, mutandique positum illum desiderio afficeris, cuius rationes ipse vix alias, quam sensum quendam innominatum, quem intra te ipsum percipis, allegare poteris.

§. VI.

Memorabilis est obseruatio ex WARTHONO apud BONETVM allata *c. l. obs. xx.* de viro melancholico, in quo dissecto omentum nigricans, fere putridum, & pluribus locis infra vmbilicum peritonæo adhærens, inuentum fuit. Ceterum tensionis etiam transitoria effectum subinde videmus in quibusdam hypochondriaco-melancholicis, qui semper grauius degunt quoties aluus pertinaciter clausa est, aut flatus intestina & ventriculum valde tendunt; vnde his submotis causis manifestum fit, quantum leuati fuerint.

§. VII.

Rara est apud obseruationum auctores mentio pustularum viscera abdominis obsidentium: quare non possum quin hoc loco commemorem, fuisse non ita pridem quoque simile quid visum in theatro huius academiae anatomico, quum disseicaretur femina, quæ a multis annis sæpius delira, sed aliquando ab errore mentis satis visa fuit libera.



## CASVS II.

**F**EMINA XXX. annos egressa, in matrimonio viuens, rebus pro sua conditione satis lautis, nihil, de quo conquereretur aut angere posset, experta, aliquot liberorum mater, ab omnibus, qui eam nouerant, moderationis & prudentiæ laude ornata, cum puerperio satis bene defuncta esset, iamque in publicum prodire cœpisset, in miram aliquam mentis aberrationem, finiente hieme, incidebat. Nam quum de aliis omnibus rebus satis recte iudicaret & sermocinaretur, in hoc vno, sed grauissimo sane, pertinacissime delirabat, quod verum Deum apertissimo odio se prosequi, dictis horrendum in modum blasphemis, misera testabatur: de diabolo vero iucundissime cogitabat & loquebatur, eum deperire se & vnicuique desiderare præferebat, neque se ab illo detestabili errore liberari aut dimoueri cupiebat. Quum intra hæc aliquanto tempore desipuisset, magis iam taciturna fiebat, alienatum a marito & liberis animum probebat: vt iam non sine ratione grauiora metuerentur, & custodes adhiberi deberent. Truces erant oculi, & quod in illis album esse debet, plane fuscum videbatur. Edebat inter hæc & dormiebat, etiam laboribus vtcunque obeundis occupata erat, & de rebus familiaribus satis commode differebat: etiam de rebus sacris, vsque ad ostentationem: sed vt omnia de Deo & Christo dicta applicaret maledicto genio. Febrilis nullus calor notari poterat; pulsus nihil abludebat a sano, irascebaturque omnino de valetudine percunctantibus. Menstruam iam se iusto tempore expertam dicebat, & nihil habere de quo posset conqueri. Vnicum, quod ipsam permo-  
uebat ad medicinam admittendam, erat oculi deprauatu  
color



color: qui nisi fuisset, nullam facile admisisset. Medicus consultus curationem adgredebatur paucis diebus ante illud tempus, quo menstrua purgatio erat expectanda. Iubebat regioni hypochondriacæ imponere emplastrum saponatum, cum illo de cicuta & de ammoniaco mixtum: vnde aluus satis lubrica consequabatur. Interius sumendum iubebat succum ex floribus cheiri expressum, vino dilutum, & syrupo capillorum veneris, quo gratior redderetur potio, permixtum. Hunc bis assumpserat, quum fuscus color iam mutaretur in flaue viridescentem. Altero die surgebat diluculo, deoque prostrata ardentissimis precibus, & inter largissimas lacrymas, veniam blaspheme dictorum exorabat, planeque illo die tota mutata erat. Sed cum aduersperasceret mentis illa serenitas minuebatur, & parum aberat a pristino statu. Repetebatur vsus remedii, cui iungebatur modicum alicuius medicinæ sedatiuæ. Medico enim toto illo die displicuerat nimia mentis agitatio, quam astantes perpetuis colloquiis continuauerant. Quum blando somno illam noctem transegisset, & interea menstruorum fluxus erupisset, satisque libere procederet, satis alacris, & sereno ac composito animo, pristinamque insaniam constanter abhorrente, per complures dies degebat; oculi ad pristinum nitorem redierant. Nunc sponte suorum, tam mariti, quam liberorum, a quibus ob iustum metum distracta fuerat, desiderio tenebatur: quare illis reddenda videbatur. Sed aliquanto tempore interiecto aliquæ prioris aberrationis reliquæ obseruabantur: quæ tamen, deo adiuuante & medicinis successum tribuente, euanescebant, vt nunc per complures iam annos prorsus immunis a pristina labe viuat.



## EPICRISIS MEDICA.

## §. I.

**M**edicus ex priori casu cognouerat, quantum stric-  
turæ & tensiones stabiles partium abdominis ad  
caput & cogitationes turbandas faciant. Hoc, tamquam  
communi multis huius generis morbis, ductus, ad spe-  
cialiorem & propriam partis magis stricte sedem con-  
iectura inueniendam ducebatur ista tunicæ albugineæ  
offuscatione. Scilicet nihil dubitabat hepar cum syste-  
mate cholopoeo male constitutum, atque huic succur-  
rendum esse.

## §. II.

Incepit igitur a remedio externo, quod non solum  
spasmos seu stricuras fibrarum omnis generis resoluit,  
verum etiam in humoribus fluiditati suæ restituendis  
vtilē sæpius inuenerat.

## §. III.

Subiunxit tandem flosculi, non suo pretio habiti  
& plane polychresti, vsum; qui spem de bile emendan-  
da & mensibus promouendis minime destituit. Plura  
addere non opus puto.

## CASVS III.

**F**eminæ rusticæ sexagenariæ vetulus maritus require-  
bat opem medicam pro sua matre familias, quæ non  
solum toto corpore emarcuerat intra breue tempus, vt  
vix pedibus incedere posset: sed prorsus fatua & mente  
destituta, aliquibus certe horis, videbatur. Nuper, cum  
cœnam apparatusa butyrum in sartagine liquaret, con-  
siderat ad focum, effluenteque & flammis incensa ma-  
teria incendium graue consequutum esset, nisi bona to-  
tius pagi fortuna illo momento rediisset ex agro familia  
& opem



& opem tulisset. Hæc audiens medicus de prægressa valetudine percunctabatur. Audiebat semper robustam & sanam fuisse, usque ad ver prægressum, quo, febre intermittente correpta, remediis domesticis mox conuauerat a febre quidem, sed alacritatem non recuperauerat. Ignorare se profitebatur, quo remedio usa sit, sed hoc se scire putabat, quod sit rusticæ plebi admodum familiare. Medicus non dubitabat febrem quidem suppressam, sed causam eius superesse; dabat igitur aliqua, quæ læpius bona fuerat expertus. Rusticus post aliquot dies interiectos referebat, nihil esse istis medicinis effectum; rogabat opem sibi ferri. Proxime ab vrbe distabat pagus & amœna tempestas ad illuc deambulandum inuitabat. Exquirebat accuratius quid factum esset ad febrem illam abigendam: simulque considerabat ægrotam, quæ omnino marcida, instar viui sceleti cute corrugata inducti, nec pedibus consistere, nec audire bene, nec videre, nec verba proferre valebat. Conscia remedii filia, quid factum esset prodebat. Scilicet vrinam febricitantis farina subegerant, hancque pastam vesicæ fuillæ inditam in camino suspenderant. Iubebat medicus afferri vesicam, eamque in profluentem proxime riuum illico euacuare & eluere, præcipiebat: ægrotam autem balneo aquæ dulcis tepido, cui furfures & obuix quædam plantæ incoctæ essent, aliquoties foueri iussit. Vno vel altero mense transacto tantum confirmata erat, vt cum vetulo marito ad medicum, satis pro illa ætate alacris, veniret, gratumque animum profiteretur.



## EPICRISIS MEDICA.

## §. I.

**S**istit hic casus imminutionem & paulatinam ablationem facultatis tam ratiocinantis cum sensitiva, quam simul actionum naturalium & vitalium. Id vero quam manifestum est, omnique dubio carere videtur; tam abstrusa est connexio inter effectum & causam, quæ deprehensa fuit.

## §. II.

Scio quam controuersa sit doctrina de sympatheticis illis; quæ etiam maleficia audiunt, ubi ad lædendam hominis valetudinem fuerunt adhibita. Alexandri nostri, quoniam nodum hunc Gordium non facile soluunt, ne imperio Asiæ excidant, malunt eum secare, & omnia fabulis adscribere. Mihi illud quidem non placet; sed cautius videtur profiteri quod nesciamus id, quod & doctissimi expedire desperant.

## §. III.

Homines fame diuturna vexatos animi & corporis vigorem amittere res est notissima: consignaueruntque itinerum ac historiarum scriptores multa exempla miserrorum, qui ad delirium, quin rabiem ac furorem, tandem, ubi ad extrema prope peruenerant, ad omnimodum mentis stuporem adacti & adducti fuerunt, quoniam alimento caruerunt. Non autem mirandum si id accadat hominibus vigentibus & appetitu bono præditis vehementius: in nostra vero, utpote sene & febre exhausta, magis paulatino incremento inualuit & progressum fuit.

## §. IV.

Scio multis ita videri posse hoc negotium, quod  
reme-



remedium sympatheticum nullam culpam sustinuerit, cum id non fuisset inter ruricolos illius tractus tam familiare, si tales noxas afferre antea observatum esset. His autem repono prudens CORNELII CELSI effatum: *non sequitur, ut quod alium non afficit, aut eundem alias, id ne alteri quidem, aut eidem tempore alio, noceat. Possunt enim quædam subesse corpori, vel ex infirmitate eius, vel ex aliquo affectu, quæ vel in alio non sunt, vel in hoc alias non fuerunt.* Succurrit casus, qui multos honestos viros, quos superstitēs spero, testes habet, quemque referam ut moneat eos, qui vel omnino eleuant sympatheticas curationes, vel nimium iis fidunt. Iuuenis XXX. annorum, artifex & artificis præclari filius, hernia laborabat, pudoreque detinebatur, ne opem quæreret. Legerat is in chirurgorum scriptis omnium tumorum incrementa sisti, quin eos sensim evanescere, post contactum manus mortuæ, præcipue si sit hominis phthifico morbo extincti. Quumque pater eius hoc morbo decederet, manum mortui admouet suo scroto & inguini. Post aliquot dies partes illæ cœperunt absque dolore aut inflammatione emori, prorsusque in putrilaginem, nulla arte compescibilem, abire, quæ ad intestinum simul prolapsum, indeque ad reliqua eundo moriendi necessitatem attulit. Certo scio mille homines scrophulas, aliasque excrescentias, tali manu attigisse, si non cum optato fructu, tamen sine tam funesto euentu.

## CASVS IV.

**F**emina plebeia XXV. annorum, robusta, iracunda, & nulla disciplina ad mansuetudinem deducta, quum nuper



nuper puerperio satis bene esset defuncta, audiebat quædam accidisse, quæ fortunas eius everfura videbantur. Tantopere indulgebat iracundiæ, ut par erat ab huius generis femina expectare. Ita autem exagitata, totaque in fermento existens, mammas exfugendas tenero foetui porrigebat, qui inde epilepsia correptus moriebatur. Nescio quantus hic mœror post iram fuerit consequutus: sed illud scio mox fuisse febrem subsequutam, & mammas ab affluxu lactis valde tumefactas. Adhibebatur in consilium barbitonsor: sed mox emicabat plena mania. Quum aliquo tempore non adessent qui eam custodirent, frigidissima hyeme lecto exsiliabat, & ad fluviū, non procul a suis ædibus decurrentem, tunc glacie penitus constratum, properabat, seseque multitudini iuuenum ibi se exercentium tota nuda ingerebat. Non poterat ipsi persuaderi, ut quicquam medicinæ assumeret, vel exterius imponi pateretur. Fallenda igitur erat. Nam quum non abhorere illam spirituosa intellexisset medicus, concinnabat satis efficax vomitorium antimoniale, quod gratissimæ aquæ, ut vocant, vitæ comparari posset. Succedebat fraus licita, ut omnem auide exhauriret potionem. Mediocriter vomebat, sed cum euphoria optatissima: ad mentem enim bonam hætenus redibat, ut se vsui medicinarum, quibus percurata est, deinceps idoneam & obsequentem præberet.

## EPICRISIS MEDICA

### §. I.

**H**IPPOCRATES *sect. V. aph. 40.* scribit: *mulieribus, quibus ad mammas sanguis in tumorem colligitur, furor signū*



*significatur.* GALENVS ad *b. i.* notat rarius hoc contingere, nec sibi obuenisse casum. Medicus non incelebris HIEREM. THRIVERIVS BRACHELIVS in *comment. adh. l.* ita, haud scio an satis ad rem, scribit: *Id contigit nobis videre, quod mulier quædam, quotiescunque aliquo tempore puerum lactasset, propemodum desiperet.* Sed propemodum desipere multum distat a furore, *uavin.* FRANC. VALLESIVS *Comment. ad hunc locum,* restringit sensum eo, vt furor extimesci debeat, si pro lacte sanguis mulgeatur; neque tamen significat quibus id rationibus motus afferat. Propius ad rem facit historia, quam recenset HENRIC. ab HEER *Observat. cap. XIV.* quam apud ipsum commendo legendam. Noster hic casus quantum illustret Hippocrateum aphorismum, spero abunde patere. Forte in Heeriano casu, & illo, qui Hippocrati contigit, præcesserunt similes causæ procatarcticæ, ad animum vehementer commouendum efficaces. Sed quum illi de his fileant, in nostro sane merentur in primis attendi. Nam quum re vera multæ quotannis occurrant feminæ, quibus mammæ in magnum tumorem attolluntur; vtique ab affluente & detento sanguine, quod euentus suppuratorius luce meridiana clarius comprobatur; haud tamen adeo frequenter notatur concurrens aut succedens mania. Euolui studiose magnam gynæciorum commentariorum collectionem Basileæ quatuor voluminibus editam, sed nihil, quod me doceret, inuenire potui.

## §. II.

Vt huic miseræ daretur vomitorium antimoniale, potissimum efficiebat tunc recens lecta observatio D. D. ALBRECHTI in *ephemer. N. C. dec. II. ann. VI. pag. 46.* cui



candidus calculus adiicitur ab auctore penultimæ editionis *Dispensatorii Brandenburgici ad tit. sapæ vomitoria* D. Sylui.

### §. III.

Nec erat poenitendus effectus. Quanquam enim viri, quibus multum, vt debent omnes recta monentibus, attendo, vitare iubent vomitorias medicinas post excandescentiam; hic tamen casus non videbatur illo præcepto comprehensus, quum vomitorii irriti conatus, qui merito suspecti sunt, non adessent, iamque plures dies ab excandescencia illa effluxissent, absque eo vt se proderet signum inflammati stomachi.

### §. IV.

Verosimile est profectum, qui a medicina consequeretur, tribuendum esse effectui vniuersaliter resoluenti & diapnoico, quem antimonialia emetica blandius operata post se relinquunt: quem si anodinum dicere velis & antispasmodicum, facies, credo equidem, eodem iure, quo incredibili consensu cinnabaris hodie inter talia principem fere locum consequuta est. Et nec alia erant, quæ post vomitorium dabantur, medicamenta, præter antimonialia fixa cum cinnabari, & sacculum discutientem mammis exterius imponendum.

### CASVS V.

**V**ir honestus, doctus & magnis dignitatibus ornatus, temperamenti sanguineo-melancholici, quinquagesimum annum iam supergressus, quum maximi momenti negotiis coram principum legatis occupatus esset disceptandis, hicque labor in multos dies protraheretur; quo toto tempore occupatissimus erat, luæque causæ tuendæ intentissimus: parum interea poterat corpori & ani-



animo per iusta quietis & recreationis interualla sustentandis & refocillandis indulgere. Quum negotium ex voto plane confectum esset, omnes, qui ipsum antea noverant, mirabantur animi insolitam submissionem & prostrationem. Cesserat pristina alacritas, vultus tristitiam præ se ferebat, lacrymabatur subinde, metus sibi finge-  
bat, aut a longissimo accersebat. Mox augebatur malum, vt male cohærentia loqueretur, & quæ nunquam facta erant, tanquam facta referret. Parum inter hæc appetebat, & alio reddebat dura, grisea, fere canum scybalis similia. Quum is esset valetudinis status, nescio cuius consilio, & sanguis semel ac iterum detrahebatur, & vomitorium offerebatur. In deterius hinc omnia vergebant, & cachexia icterica emicabat, animo etiam magis, quam antea, irrequieto & vagis imaginibus turbato. Toto hoc tempore parum fuerat somno recreatus, multasque noctes prorsus insomnes transegerat: noctu semper magis, quam per diem, afflictus. Hoc rerum statu ad consilium vocabatur medicus, qui, quum calorem aliquem siccum depascentem animaduerneret, ante omnia huic statuebat obuiam ire, & simul somni beneficium reducere. Rem gerebat, quum Iunius mensis esset, & sitis affligeret ægrotantem, emulsione ex seminibus frigidis & papaueris, cum aqua ceraforum nigrorum & florum nymphææ. Hanc ipsi versus vesperam copiose indulgebat, fructu optato, vt illa nocte per aliquot horas blando somno reficeretur. Quum die insequuta multo melius se habentem ægrotum deprehenderet medicus, hypochondriacæ regioni imponebat emplastrum resoluens & anodinum, ex sapo-  
nato, splenetico, & de ammoniaco: in prandii cœnæ-



que fine ouum mollissime coctum, cum pauxillo pulueris florum cheiri, iubebat sumere, versus noctem vero emulsionem prædictam repetere. Reddebatur hæc inter alius magis magisque liquida & exturbabat tandem copiose flauas biliosas fœces; quo facto ad naturalem statum redibat, vt ab omni pristina labe nunc immunis iam per decem annos degat, suoque principi, & amicorum ac clientum negotiis, absque impedimento possit satisfacere.

### EPICRISIS MEDICA.

#### §. I.

**I**n hoc viro manifestum est, quod labes valetudini illata a nimia virium animi agitatione, & continuata sollicitudine cum vigiliis, orta fuerit. Irrequieta enim cogitatio nocturnæque vigiliæ, præsertim per multos dies protractæ, corporum robora valde minuunt & per hoc ipsas animi vires atterunt.

#### §. II.

Quo pacto id fiat, quibusque gradibus inualescat, egregie, & ad practicum vsum commodissime, docuit illustris quondam archiater Palatinus IOAN. CONR. a BRVNN in aureo libello *de glandulis duodeni*; cuius ductum in percurando hoc ægroto sequutus posterior medicus, nihil hic euacuantibus, sed plurimum sedantibus atque chylicationis negotium emendantibus, tribuit. Haud enim poterat ipsum fallere origo morbi, intuentem quæ prægressa fuerant, & ad defectum bilis, de quo fœces testabantur, animum rite aduertentem.

#### §. III.



## §. III.

De fructu emulsionum ex refrigerantibus & papaueraceis, qui adeo quoque in acutis deliriis manifestus est, nihil hic attinet dicere, quum ab omni æuo commendatius nihil apud practicos occurrat. Quod vero etiam in chronicis melancholicorum affectibus apprimè conducat, si quis somnum omni secura ratione, per externa & interna præsidia, adducere & in iustum ordinem redigere allaborat, plurimis exemplis posset doceri. Non heic suadeo ad opium illico recurrere; quod minime damno, sed suo loco honorifice positum relinquo: sed scio haud sæpe hoc indigere medicum, qui praxin antiquam suo pretio habere & tempestiue imitari didicit.

## §. IV.

Quibus indicationibus cetera, quæ in hoc viro salutariter adhibita sunt, directæ & superstructa fuerint, iam satis puto ex superioribus clarum esse posse.

Et hæc nunc

**SUFFICIENT.**



# FRIDERICVS HOFFMANNVS

CONSILIARIVS ET MEDICVS REGIVS, FRIDERICIANÆ  
SENIOR

PERQVAM EXIMIO

## DN. CANDIDATO

S. P. D.

**V** T mibi, scholarum mearum assiduus auditor, diligentia indefessa satisfacisti; probitate etiam ac modestia singulari effecisti ut te amem: ita optima de TE augurandi rationem hac rara probitatis & diligentiae assidue coniunctio, cum egregiis in arte salutari profectibus sociata, suppeditat. Non enim in priuatis solum colloquiis talem TE deprehendi, verum etiam in binis examinibus, quæ in confesso ordinis medici cum laude sustinuisti, ita TE comprobasti, ut gauderem non fefellisse me spem illam, quam de TE cognito conceperam. Laudo institutum illud a luculentis observationibus, tam in illis, qui morbo decesserunt & dissecti fuerunt, quam, qui conualuere, habitis, in causas morborum cognoscendas penetrandi, & ab hac cognitione medendi vias investigandi. Ipsemet nosti quantopere hanc rationem commendare soleam, tam in scriptis meis, quam in omni sermone, quem ad instituendos in arte

te



*te nostra habere soleo. Rogo TE, ne ullam existimes  
meliozem esse viam ad artis interiora penetrandi, ea-  
demque pergas proficisci. Sic TE, quos toto animo ap-  
precor, successus optati consequentur, & patria in TE  
habebit salutis praesidium. Id vero DEVS benigne  
tribuat. Scripsi a. d. XI. Aprilis M DCC XXXVII.*

---

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DOM. CANDIDATO**

S. P. D.

PRAESES.

**Q***Vem per duos solidos annos indefessum au-  
ditorem habui, & numquam sine gaudio  
aspexi; quod me ardor discendi singula-  
ris, cum singulari modestia, insignem in  
modum delectabat: eundem nunc, examinibus cum  
laude superatis, ad ultimum specimen edendum non  
sine singulari alacritate deducam & comitabor. Scio  
tantum TE in illis litteris, quae a medico requirun-  
tur, profecisse, quantum nec TE, neque praepceptores  
tuos poenitere debeat. Successus ulteriores a deo  
propitio pendent, qui numquam destituit suam opem  
inuo-*



inuocantes, & bonum illis laboribus, quos cum recta  
ratione suscipiunt, euentum efflagitantes. Quare  
TE, cum optima spe in patriam, quam repetes, &  
cum ardentissimo voto, ut plurimum emolumentum  
agrotantibus afferas, dimitto: deum precatus, ut ita  
TIBI omnia respondeant, ut amplissima quaque TI-  
BI sincero voto & augurio non vano, quippe ex mo-  
ribus & doctrina tua capto, animus meus destinat  
& pollicetur. Perge, qua coepisti, industriam num-  
quam omitte, cetera deo committe, & me ama, Vale.  
a. d. XII. Aprilis MDCC XXXVII.

